



die ad nullum declinamus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. » Experientia docuit confessores pro fide Christi captos a tyrannis, in ea fortes persistisse, factosque martyres, quotquot iugi orationi se dederunt; cecidisse vero eos qui orare, et Dei opem invocare neglexerunt. Idem vidimus et videmus in aliis tentationibus quibuslibet. Idem experimur in nobis ipsis. Huius rei symbolo legitur in libris *Machab.* quod Judas Machabeus, qui tot tamque nobiles victorias de Antiocho obtinuit, semper ante singula praelia ferventes ad Deum preces fuderit, excepto ultimo in quo confossus occubuit, quia tunc orasse non legitur. Quotidie ergo oremus cum S. Ambrosio et S. Augustino in hymno *Te Deum laudamus*: « Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire. »

Vers. 2. 2. **RAPUERUNT DOMOS,** — concupierunt domos aëque ac agros proximi, easque rapuerunt vi vel fraude, ut concupiscentiam suam explerent.

ET CALUMNIABANTUR VIRUM. — Per calumniam opprimebant, accusantes eum falso, ut ei bona, vel etiam vitam eriperent: hoc enim est hebraicum *קצו* *asc.* Unde Tigurina verit, *vim inferunt cuique*; Pagninus, *oppresserunt virum*; Septuaginta, *diripiunt virum*.

Vers. 3. 3. **ET NON AMBULABITIS SUPERBI.** — Chaldaeus et Septuaginta, *erecti*, *q. d.* Deprimam erectam et superbam eorum cervicem, reddam eos humiles et dejectos, ut colla tumida submittant, cervices alias inclinent (4).

QUONIAM TEMPUS PESSIMUM (id est maxime calamitosum) EST, — id est erit, *q. d.* Inducam eis maximas clades, quae cervices eorum superbas contendant et frangant. Sic dicitur *Matth.* vi, 34: « Sufficit diei malitia, » id est afflictio et calamitas, « sua. » Sic ex adverso Hebraei vocant *bonum*, id quod prosperum est et iucundum, ut: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! » *Psalm.* cxxxii, 4. Ad huc Micheas locum allusit Apostolus *Ephes.* v, 46, dicens: « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. »

Vers. 4. 4. **IN DIE ILLA SUBERTUR SUPER VOS PARABOLA,** — puta nenia, id est lamentum funebre et carmen lugubre, vulgo et passim cantandum. Sic parabola vel lamentum vocatur nenia excidii Babylonis, *Isaia* xiv, 4, et Tyri, *Ezech.* xxvii, 2, et Aegypti, *Ezech.* xxxii, 2. Ratio est, quia uti parabola, ita et nenia adhiberi solent similitudines, gnomo, metaphore, similesque figure et schemata, quae in carmine adhibentur. Adhaec sunt res tristes, quae vulgo in omnium ore versantur; hæc enim Hebraei vocantur parabole, vel proverbialia.

(1) Sunt qui *משפחה* *mischefaca*, *familiam*, de toto populo intelligunt, ut *Amos* iii, 1. Sed scriptorem appareat certum genus hominum nequam et perversum intelligere, in quos peculiariter hoc capite invehitur, quorum scelerata vers. 1 et 2 indicantur. (Rosenmüller.)

ET CANTABITUR CANTICUM CUM SUAVITATE. — Hebraei: *Et lamentabitur lamentum lamenti*, id est lamentum summum, sive maxime lugubre. Ita Pagninus, Vatablus et alii. Dies: Cur ergo Noster et Septuaginta vertunt, *canticum cum suavitate*; et Arias, *lamentum cum solamine*? Respondeo, quia quando Hebraei idem nomen iterant in genitivo, significant quid in eo genere eximium, pulcherrimum et summum, ut Rex regum, id est summus Rex; Canticum canticorum, id est canticum pulcherrimum. Sic hic lamentum lamenti est eximium et pulcherrimum lamentum: praesertim quia omnis cantus, etiamsi lugubris et lamentabilis, hoc ipso quo cantus, suavis est, auresque et mentem delectat: quinimo non tantum melancholici, sed et viri pii compunctioni dediti, magis delectantur carmine et musica funebri, quam festiva et exultante. Hæc de causa veteres in funere adhibebant lamentatores et lamentatrices, canentes tibiis, ut tibiatur sono et voce, licet lugubri, lenient dolorem parentum et cognatorum, qui proinde ita voces suas frangebant et flecebant, ut modulatione sua leniret mororem. Ita et hoc lamento insigni lenire moror Hierosolymae vastatae, eique licet moranti, suavitatem aliquam praefixa ingerit, eamque consolationem tali loco congrua demulcet.

Aliter Ribera: Hebraum, inquit, *נחמה*, id est lamenti vel lamentationis, a radice *נחם* *naha*, id est lamentatus est, deduci potest a radice *נחם* *naha*, quod significat frangere, conterere, *q. d.* Frangitur, id est fracta, incisa et molli voce, hoc est cum suavitate, canetur hoc lamentum. Melius *naha* deducas ab *נחם* *naha*, id est fuit: ut *naha* idem sit quod factum, completum, concinnum, elegans, ideoque demulcens, delectans et suave.

Aliter Remigius, Albertus, Lyranus et Hugo; censent enim hoc lamentum assumendum non ab ipsis Israelitis, sed ab eorum hostibus Assiriis, qui imitantes et replicantes hoc Israelitarum lamentum, canent per irrisionem cum suavitate idipsam, quod Israelite canent cum luctu. Verum alii simpliciter censent prophetam hoc lamentum assignare non Assiriis, sed ipsis Israelitis vastatis, puta canendum ab eorum praeficiis et lamentatoribus publicis, qui lamentis praerant, ad publicum civium in tanta clade solamen. Hoc enim significant ipsa verba lamenti, quae sunt prime personae: « Depopulatione vastati sumus. »

DEPOPULATIONE VASTATI SUMUS (hebraice, *vastando vastati sumus*, id est, ut Pagninus, *penitus vastati sumus*): PARS POPULI MEI COMMUTATA EST. — Sunt verba Synagoga, puta Samariae et Hierosolymae, *q. d.* Pars populi Israelitici translata est a Salmanasare in Assyriam, aëque ac pars populi Judaici translata est a Nabuchodonosore in Babylonem. *Secundo*, « pars, » id est sors et hereditas populi mei, puta agri Samariae, ab Israelitis translata sunt ad Cuthaeos et Assyrios, aëque ac

agri Judaeae occupati sunt a Chaldaeis, *IV Reg.* xvii et cap. xxv.

QUOMODO RECEDET A ME, CUM REVERTATUR QUI REGIONES NOSTRAS DIVIDIT? — *q. d.* Persuadebant nobis pseudoprophetae et adulatores, nosque credebamus quod, cum Salmanasar populatus esset agros Samariae paucis abductis, nosque illi promitteremus tributum, amplius ad nos non rediret, foretque nobis pax: sed ecce redit et obsidet Samariam, eamque capit, omnesque Israelitas abducit, ac in eorum locum ex Assyria in Samariam adducit Cuthaeos, qui agros eorum possideant, quasi incolae perpetui futuri, ut nulla nobis ad nostra redituri supersit spes. Idem dicunt Iudei de Nabuchodonosore: sperabamus eum occiso Joakim, et capto Joachin, indictoque nobis tributum, non rediturum: sed ecce redit, capit Jerusalem, excavat Sedectam, filios ejus obruncat, cives omnes abducit, agros nostros alienis distribuit; nihil ergo spei nobis superest. Huc accedit expositio S. Hieronymi, Remigii, Haymonis et aliorum, qui hæc de Sennacherib exponunt, quasi dicat: Cum Sennacherib recederet ab obsidione Jerusalem, ut occurreret Tharacæ, regi Aethiopiae, nos Iudei sperabamus eum amplius non rediturum: sed ecce redit, Jerusalem obsidet, agrosque nostros suis dividit.

Paulo aliter verit Pagninus: *Quomodo*, inquit, *removet a nobis quos sperabamus nobis restituri? agros nostros hostis divisit sibi.* Et Vatablus: *Quomodo abstulit a me, cum restitutus videretur (nobis) agros nostros? divisit*, supple nostros agros aliis, *q. d.* Fallimur spe nostra, sperabamus agros nostros nobis restitutos, et ecce in eos hostes nostri possessores inducuntur.

Vers. 5. 5. **PROPTER HOC NON ERIT TIBI.** — Verba sunt Prophetae ad Samaritanam, vel potius Samaritae et Judaeae ad seipsam. Sic enim lugentes ex patho seipos subinde quasi alienos alloquuntur, *q. d.* Posthac terram tuam, o Samaria et Judaea, inter tuos cives finituro non divides, ut antea facere solebas, quia scilicet privaberis omni tua possessione, hoc est, posthac ego Samaria et Judaea meis filius terram non dividam, quia ea omnino privabor. Hic finitur lamentum et nenia.

Vers. 6. 6. **NE LOQUAMINI LOQUENTES, etc.** — Hebraice: *Ne stilletis stillabunt*, quod Vatablus verit: *Ne stilletis hæc qui stillare solent*, id est Prophetis, propterea non stillabunt posthac istis; sique exponit: Dicere solent Prophetis: Ne loquamini, hoc est nolite prophetare et vaticinari nobis, *q. d.* Vos veris Prophetis silentium imponitis, et propterea privabimini Prophetis et prophetia. Verum melius Noster, Symmachus et alii veteres vertunt: *Ne stilletis stillantes*, vel stillando. Nam futurum Hebraei subinde usurpant pro participio, ut *Osse* cap. xii, 11, hebraice est: *Si Galnaad idolum, ergo frustra fuerunt in Galgal, vobis immolaverunt*, id est immolantes, ut vertit Noster et alii. Et cap. xiii, 2: *Inmolate homines, vitulos adorabunt*, id est ado-

ranles, ut vertunt Septuaginta, Noster et alii. Jam per stillare Septuaginta intelligunt *plorare* et *lacrymari*: oculorum enim stille sunt lacrymae. Unde vertunt: *Ne lacrymenitis lacrymas.* Verum apud Hebraeos, praesertim Prophetas, stillare idem est quod loqui, prophetae, conclonari, ut saepe monui. Nam, ut ait S. Hieronymus, « eloquium ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audientium in similitudinem pluviae descendens, stillationem vocat, praesertim quia grave est, minax et onerosum: stille enim cum pondere, impetu, nimbo et grandine saepe decidunt. S. Hieronymus, Remigius et alii censent hæc esse verba Prophetae ad populum, *q. d.* Nolite dicere, o Judaei, id quod soletis; Prophetae praedicant et comminantur nobis mala, at nos eis non credimus: non enim stillabit, id est non ruet, super nos calamitas ista.

Verum, quia non ait: « Non stillabit » super nos, sed « super istos, » hinc alii probabilius censent esse verba alterius Prophetae vel viri sapientis ad Micheam similesque Prophetas, *q. d.* Nolite, o Michea, o Amos, o Joel, etc., prophetare Israelitis, quia ipsi non credunt: unde vestrum eloquium non stillabit super istos, id est non instillabit illis pia monita: non enim « comprehendet » illos confusio, dolor aut penitentia, *q. d.* Sunt obstinati et incorrigibiles. Quocirca Chaldaeus verit: *Ne prophetetis prophetiam, neque doceatis populum istum; nam non admittunt confusionem, q. d.* Frustra eos monentis; nam perfrone-runt frontem, et in suis sceleribus sunt impudentes. Unde sequitur:

7. DICIT DOMUS JACOB (pro dieis hebraice est Vers. 7.

*העומר* *heamur*, id est, hoc est dictum domus Jacob: he enim demonstrativum significat hoc. Ita Noster. Nam dum Prophetae eis exitium minantur, obserepunt dicuntque): NUMQUID ABBREVIATUS EST SPIRITUS DOMINI? (*q. d.* Numquid arctatus et angustatus (hoc enim significat hebraicum *קצר* *kasur*) est spiritus misericordiae Dei, ut nos qui sumus populus ejus perdere velit? numquid) TALES SUNT COGITATIONES EJUS, — quales enuntiant nobis Prophetae, tristes scilicet et exitiales, et non potius benignae et pacificae? iuxta illud quod ipse ait per Jeremiam, cap. xxix, 41: « Cogito super vos, ait Dominus, e cogitationes pacis, et non afflictionem. » Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius et alii.

*Secundo*, alii he in *heamur* accipiunt non ut demonstrativum, sed ut interrogativum vel admirativum. Unde vertunt: *O dicta domus Jacob? Ita Pagninus; vel: Annon dictum est a domo Jacob? Ita Tigurina, q. d.* Itane, o Jacobite, id est Israelite, dicitis Prophetis: Ne stilletis, id est prophetae nobis mala, uti praecessit? *Annon abbreviatus est spiritus Domini? q. d.* Eliamsi illis Prophetis claudatis ora, et silentium imponatis, annon possum alios acriores eorum loco suscitare et submittere, qui duriora nuntiant? *Annon haec sunt opera ejus?*

q. d. Nonne hæc oracula minacia non sunt Prophetarum, sed ipsius spiritus Domini, qui per os eorum loquitur? q. d. Contentidit et pugnat, o Israëlite, non contra Prophetas, sed contra Deum, novam gigantomachiam contra Deum instituitis: videte ergo ne ut gigantes a Deo fulmine adigamini in abyssum; durum enim est vobis contra stimulum calcitrare. Ita Vatablus. Verum prior sensus est genuinus; nam *re dicit domus Jacob*, non ad precedentia, sed ad sequentia spectat. Quæ ergo sequuntur: « Numquid abbreviatus est spiritus Domini? » sunt verba non Dei, sed populi Israel, cui respondet Deus dicens:

NONNE VERBA MEA BONA SUNT CUM EO QUI RECTE GRADITUR? — Sunt verba et responsio Dei. Nota « bona, » id est benigna, clementia, iocunda. Sic dicitur *Psal. LXXVII, 1*: « Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde! » *bonus*, id est suavis et beneficus; et *Micheæ VII, 4*: « Qui optimus, » (id est benignissimus et mansuetissimus), in eis est, quasi palurus; et qui rectus (id est placens, gratus, iocundus, placidus, quasi spina de sepe.) Israelite Propheta mirantibus Dei vindictam obstrepabant et obijcebant Dei clementiam et bonitatem erga populum suum. Hisce respondet hic Deus se bonum et clementem esse, sed bonis et rectis; malum vero et rigidum malis et impiis, quales erant Israëlites, q. d. Vos a me et Prophetis expositis verba bona, id est oracula fausta et leta: sed respondeo hæc a me dari bonis, mihiq; obedientibus; his enim ea ex promisso meo debentur. Vos autem pravi estis, mihiq; rebelles; ergo non nisi oracula rebellibus digna, puta tristia et minacia, a me expectate. Unde subdit:

Vers. 8. 8. ET E CONTRARIO POPULUS MEUS IN ADVERSARIUM CONSURREXIT. — Pro e contrario hebraice est *מִכְרָתִי עִמָּו*, quod primo, significat *heri, paulo ante*. Unde Septuaginta, Symmachus, Pagninus, Vatablus, Clarius et alii vertunt, *heri*, vel ante unum diem, id est paulo ante, jam receniter, *populus meus hostis in mare insurrexit*, tum contra me meamque legem, tum contra proximum. Unde Pagninus vertit: *Quasi inimicus alter contra alterum stetit*, scilicet eam tunicam et pallio spolians, ut sequitur, q. d. Qui heri erat populus meus, hodie mihi rebellis, contra me æque ac contra proximum suum consurgit. Ita Vatablus.

Secundo, etiam potest esse conflatum ex et, id est ex, et *מִכְרָתִי* mihi, id est contra, q. d. E contra, ex adverso, ut sit sensus, q. d. Ego bonus sum bonis et rectis, mihiq; consentientibus; vos vero, Israëlite, non es talis tæ: sed contra me et proximorum vestros quasi hostes consurgitis. Quid mirum ergo si vos mali malum, id est maleficum, me, non bonum et beneficum experiamini! Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo et alii. Quocirca Septuaginta vertunt: *Et ante populus meus in inimicitia restitit contra pacem suam*. Pax enim omne bonum significat et complectitur.

IN ADVERSARIUM CONSURREXIT. — S. Hieronymus: *Tyrannica adversum me arma corripuit*. Idololatæ ergo et peccatores sunt tyranni et rebelles qui contra Deum pugnant.

DESCIPE TUNICA PALLIUM SUSTULISTIS. — Primo, Chaldaeus aliter hæc accipit, scilicet ut significant non culpam, sed penam Israelis. Sic enim totum hunc locum vertit. *Ob scelera hosti traditi sunt, e regione eorum populi stantes possident eos: pecuniam eorum pretiosam ab eis tollunt, transeuntes per terram eorum confidenter convertuntur in eos, velut bello fractos*. Secundo, Arias, q. d. Heri populus meus mihi fidelis et obediens, in hostes suos potens insurrexit, eosque prostravit: at nunc, cum a me ad idola et scelera descivit, mea ope et robore destitutus, factus est ignavissimus, timidissimus et imbecillissimus, adeo ut, si prospiciat vestem e regione, quam viator quispiam baculo (ut fit) suspensam ferat, ex vano hostium metu militare id signum esse putans, trepide fugiat, etiam abjecto pallio, ut celerius fugam capessat. Verum planus est sensus quem reddidit Noster, q. d. Vos, o Israëlite, adeo rapinis fuisistis addicti, ut obvio viatori raperetis pallium, id est extimam vestem, cum indignam tunicam corpori ejus nimis astrictam rapere non possidetis: itaque cogistis eum publice seminudum, ut rusticanum hominem indecore incedere. Ideo spoliantur et nudabant vos Assyrii, tum quia vos spoliatistis alios, tum quia opes vestre non sunt vestre, sed præda et rapina pauperum: a vobis ergo quasi injustis possessoriis, avolabant ad Assyrios.

Tropologie, S. Hieronymus hæc refert ad eos qui simplices pervertunt, eosque Dei gratia et virtutibus despoliant, pelliciendo eos in heresim, libidinem, furta, etc.

ET EOS QUI TRANSIBANT SIMPLICITER (innoxie et consequenter fidentes, et nihil mali times, ut habent Hebræa: hos, inquam), CONVERTISTIS IN BELLUM, — id est bello et rapina appetistis, quasi hostes invasistis, pugnis contudistis, contumeliis vexastis, vestibus rebusque suis spoliatistis, quasi prædones et grassatores viarum publicarum.

9. MULIERES POPULI MEI EJEICISTIS DE DOMO DELICIIARUM SUARUM. — Primo, q. d. Occidistis, vel expulistis, vel in carcerem trusistis maritos populi mei, id est plebeiorum et pauperum: nec hoc contenti, uxores eorum expulistis suis ædibus, in quibus cum maritis in amore, pace et suavitate conjugali, quasi in domo deliciarum vivebant, ut ades earum et prædia occuparetis. Ita Lyranus, Arias et Vatablus. Porro pauperes vocat *populum suum*, quia, ut ait *Psalm. XL, 14*: « Tibi derelictus est pauper: orphanus tu eris adiutor. » Et Christus *Matth. XXV, 40*: « Quando fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » Sic Achab, occiso Naboth, invasit vineam Nabothi, ex eaque uxorem ejus jam videram exturbavit, *III Reg. XXI, 16*.

Aliter S. Hieronymus, q. d. Vestris sceleribus causa fuisistis, cur matrona honesta et divites domibus suis, in quibus delicate vivebant, extractæ, ab Assyris ducerentur in captivitate. Aliter et Vatablus, q. d. Sollicitando uxores ad adultèrium, vel de eo illas calumniando, aut suspectas faciendo, concitastis maritos, ut eas quasi adulteras domo expellerent, itaque a parvulis earum abulstis laudem, id est decus et gloriam; quia fecistis ut filii earum essent viles et abjecti, aut notii et spurii: cogistis enim illas a maritis expulsas, alias domos et viros adire; hoc est, ut verbo dicam, cogistis illas adulterari. Nota: *Pro tulistis laudem meam in perpetuum*, S. Gregorius Nazianzenus, *orat. 7*, ex Septuaginta (qui pro *הרי החדארי* legerunt *הרי* here, id est montes) legit, *appropriatque montibus æternis*, sicque explicat: *Jubet, inquit, ut pastores gregem ad montes et edita loca impellant, ut scilicet fidelibus ostendant viam arduæ virtutis et perfectionis*. Unde Syrus vertit: *Et a parvulis accipietis gloriam in seculum*; Arabicus, *induentur gloriam in æternum*.

A PARVULIS EARUM TULISTIS LAUDEM MEAM IN PERPETUUM. — Laudasset enim me parvuli, si a parentibus in conjugali amore honeste fuissent educati, eorumque heredes effecti. At a vobis et parentibus orbati, et bonis spoliati, gemunt, fremunt, vobis maledicunt, clamantque vindictam in cælum. Ita Albertus et Arias. Secundo, tulistis ab eis meam laudem, tum quia eos a matribus avulsos, honesta piacque educatione privastis, et in idololatria vestra educastis; tum quia eos ad pauperitatem adegistis, ob quam ad omnia scelera, vestramque voluntatem et libidinem eos inflexistis. Tertio, « laudem, » id est gloriam; et Tigurina, *honorem*, q. d. Fecistis eos mihi et sibi viles et inglorios, separando eos a parentibus, et matres a patribus: bona enim matrimonii quibus Deus glorificatur, olim erant duo, scilicet proles et fides conjugalis; nunc in lege nova sunt tria, scilicet proles, fides et sacramentum. Vos hæc omnia hæc separatione evertistis: evertistis ergo omnem meam in matrimonio gloriam, præsertim quia spoliando filios bonis paternis, fecistis ne ipsi matrimonium inire, et stirpem paternam propagare possent. Hæc enim fuisset mea, æque ac ipsorum laus et gloria; unde Chaldaeus vertit: *Ab ipsis filios tollentes, translata est gloria eorum, quam dixerunt in æternum permanuram*.

Vers. 10. 10. SURGITE, ET ITE (q. d. Ob has rapinas et scelera vestra, o Israëlite, abite in captivitate Assyriacam, et vos, o Judæi, in Babylonicam): QUIA NON HABETIS HIC REQUIEM (q. d. Vos inquieti et turbulenti terram hanc, id est terræ incolæ, vexastis; hinc pariter non habebitis in ea quietem, sed Assyrius vexabit vos et abducet): PROPTER IMMUNITIAM EIUS (scilicet terræ, qua vos eam polluistis) CORRUMPETUR PUTREDINE PESSIMA, — id est sanguine et tæbe cadaverum vestrorum inficietur, et vastitate extrema vastabitur, q. d. Quia vos terram

hanc vestris sordibus et sceleribus fastidistis, hinc illa vomet vos, tradetque vos mactandos Assyriis, ut vestro sanguine imbuta, per justam vindictam quasi eluat sordes, quibus illam contaminastis, eique quasi vivitistis. Terra enim hæc sancta non potest sustinere vos tam pollutos et inultos. Unde Pagninus vertit: *Surgite et ite, quia non est hæc civitas requies; et quia est imunda, corrumpet eam et corruptione valde forti; et Chaldaeus: Surgite et migrate, siquidem non est hæc terra domus requies impiis, ut eam polluatis, perditæ agitis, ut eam efficiatis immundam, contra eam consociamini*. Hebræum enim *חבל* *chabal* significat et corrumpi, et colligari, indeque consociari. Unde et Tigurina pro *corruptione valde forti*, vertit, et *funis nimirum intentus*: *חבל* *chabal* enim est funis, quo res colligamus et consociamus.

11. UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM, ET MENDACIUM POTIUS LOQUERER! — Ex Hebræo varie verti potest. Primo, Tigurina: *Si vir essem spiritum (ventum, vanitatem) sequens, et mendacium concinnans, prophetaremque tibi de vino et sicera, Propheta essem pro hoc populo, q. d. Si loquerer placencia et voluptuaria de indulgendo genio, ventri et veneri, uti fecit Lutherus ejusque assidue, essem Propheta gratus huic populo*. Hæc accedit Chaldaeus: *Pro eo quod aberravit post pseudoprophetas, qui eis spiritu mendaci prophetabant, quique illos vino et ebrietati assuefaciebant, erit profecto sicut didicerunt post pseudoprophetas aberrare, sic exsultabit in terram mendaciorum populus istius generationis*. Respicit ad vers. 6, q. d. Populus iste deliciis assuetus, odit veros Prophetas qui severa edicunt: amat falsos, qui epicurea vaticinantur. Quia ergo amat mendaces et mendacia, eat in Assyriam, quæ est terra mendaciorum, id est idolorum et falsorum prophetarum, ibique mendacis suis, uti chamaleon vento, se pascat.

Secundo, Pagninus: *Si fuerit quisquam qui ambulat per viam venti, et mendacium menditum fuerit, dicendo: Sullabo tibi pro vino et sechar, q. d. Si quis surgat pseudopropheta, qui non populi, sed suum querat lacrum, stillans, id est docens, ut vinum et sicera pro mercede doctrine suæ conquirit, hic nimirum a populo isto stolido acceptabitur et coletur ut Propheta*.

Tertio et genuine, vertit Noster: « Utinam non essem vir habens spiritum, » etc. q. d. Utinam non haberem spiritum propheticum! utinam, quæ propheta de clade et exitio Israelis, non sint prophetiæ a Deo revelatæ; sed mendacia mihi a vano timoris et pusillanimitatis spiritu metuque suggesta! Sic vulgo dicimus: Utinam decipiar: utinam sim falsus vates! Sic ait Lucanus:

Dii facta secudent,  
Et fibris sit nulla fides; sed conditor arsis  
Finxit ista Tages.

Nota: Non optat Micheas formaliter mentiri; hoc enim optare, est peccatum; sed materialiter

tantum, hoc est, optat duntaxat ut mendacium, id est falsum, sit, seu ut reipsa non eveniat id quod predicti; ac consequenter ut id quod predicti, non predicat ex spiritu Dei, sed ex spiritu suo, puta humano vani timoris. Id dicit ex amore, quia optat suos cives perdurare, et non excindi, nec perdi ab Assyriis; quod tamen ipse ex Deo eis comminabatur. Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Hugo et Lyranus. Nota: Pro *vir habens spiritum* hebraice est, *vir vadens spiritu*, id est qui agitur vertigine, qui non habet spiritum stabilem et certum, sed vagum, mobilem, incertum, inconstantem, ut modo verum videat, modo falsum, etiam circa unum idemque: quo fit ut quod asseruit, illico revocet et neget, q. d. Utinam hac in re actus spiritu vago et erratico, vagarer, deciperer et errarem, mihi que liceret revocare oraculum excidii Israelis, quod edidit! Posset verti: *Utinam essem vir vadens vento!* vel, ut Pagninus et Tigurina, *ambulans per viam venti*, id est impulsus vento vanitatis vanique timoris, erroris et mendacii (sic Flandri de iactabundo et mendace dicunt: Ventosus est, spirat ventum), ut vano timore actus metuan, augeret et enantiem excidii Israelis, quod reipsa non evenit. Sic enim melancholici, pusillanimes et timidi omnia tristitia de se et aliis suspiciantur et obmanant. Tales enim tristes cogitationes, suspiciones et metus parit humor melancholicus, frigidus et ater; sicut ex adverso complexio sanguinea, calida et spiritiosa parit cogitationes et ominationes bonas, letas, animosas, uti videre est in iis qui sanguinei et joviales sunt.

STILLABO TIBI IN VINUM ET IN EBRIETATEM, — id est in vinum inebrians. Est hendyadis. Sensus est, q. d. Vellem non habere spiritum prophetiae, tibi, o Israel, minacem et tristem: sed tamen eo vel invitatus corripior, cogorque verum stillare, id est enuntiare; scilicet imminet tibi plurima mala, et clades acerbissimas, quae instar vini te inebriabunt et implebunt usque ad guttur. Alludit ad symposiarcham, sive praefectum convivii, qui cuique convivae suum admetebatur et miscibat calicem, stillans in eum tantum vini et tantum aquae, quantum ejus aetati, complexioni et stomacho congruere videbat, q. d. Ego Micheas tibi, o Israel, sum quasi symposiarcha, ut potius symposiarcha, id est Dei minister et pincerna. Paro ergo tibi calicem irae et furoris, in eumque stillo vinum acre et marum, puta strages et funera, ut eum tibi jussu Dei hauriendum et ebibendum propinam. Ecce haec omnia unico verbo complexit Propheta, quia concisus est, et plenus affectibus. Pathos ergo animi, ejusque alternantes affectus, concise et huius exprimit; uti solent facere vehementer dolentes, amantes, vel irascentes, qui non sperant, nunc desperant; nunc blandiuntur, nunc minantur; nunc lugent, nunc rident; nunc verba incedunt, nunc supprimunt; nunc ex hoc in aliud, sine ordine et connexionem salunt.

ET ERIT SUPER QUEM STILLATUR POPULUS ISTE, — q. d. In hunc populum Israelis cadent haec Dei maeque stille; puta haec minarum prophetiae. Israel est cui vinum hoc furoris stillo et instillo; ipse est qui calicem hunc stillarum, id est penarum, Dei exhauriet, eoque inebriabitur, usque ad stuporem et amentiam.

12. CONGREGATIONE CONGREGABO JACOB TOTUM TE. V. 11.

— Variæ sunt hujus loci expositiones. Primo, Theodoretus et Vatablus, ut haec connectant precedentibus, dicunt hic exponi calicem et vinum irae Dei, quod stillandum in Israelitis jam dixit: calicem enim hunc esse obsidionem et excidium Samariae et Hierosolymae, q. d. Efficiam ut, eogente hoste Assyrio et Chaldaeo, quasi aves congregemini in urbes vestras munias, quas ille obsessurus est: ibi praee multitudinem, pavore et angustia tumultuabimini. Capient Assyrii Samaritiam, Chaldaei Jerusalem: fugiet regni rex Sedecias, perumpens murum horti regii, sequentur eum sui, sed Dominus imminet capiti eorum, ut eos tradat Chaldaeis. Vide historiam lib. IV Reg. xxv. Imbelliam ergo Israelum comparat ovibus, urbes obsessas caulis ovium, strepitum obsessorum strepitui ovium includarum: hostes opponuntur pastoribus, hostes includunt Israelum in uribus obsessis. Verum obstat quod Propheta verba non tristitia sint, sed laeta, promittantque Israelis et captivitate liberationem, congregationem et instaurationem.

Secundo, melius alii haec referunt ad Ezechiam obsessum in Jerusalem a Sennacherib. Tunc enim omnes Judei in urbem confugerunt, et congregati sunt quasi ovae magna frepitatione et tumultu; sed angelus, percutiens castra Sennacherib, ascendit ante eos iter pandens: nam mox apertis portis Judei egressi sunt, et ante eos Ezechias, Deo duce, ut viderent stragem Assyriorum, eorumque spolia diriperent, ac Deum gratiarum actione et laudibus celebrarent.

Tertio, optime haec accipias de reitu Judeorum et Babylone. Paulo ante enim praedixit excidium et captivitatem eorum, nunc de more tristibus laeta subjungens, dicit se eos inde liberaturum, q. d. Post 70 annos, Judeos quasi oves in unum collectas reducam in suum ovile, puta in Iudaeam, magno eorum concursu, et consequenter tumultu. Pastor earum, dux, et quasi rex Zorobabel pandet iter ante eos, duceque eos per portam Babylonis in Jerusalem: ac Dominus in capite omnium quasi duxor praebit. Verum quia tunc soli Judei, non Israelite, nisi perpauci; rursum non omnes Judei congregati sunt, nec redierunt, sed multi manserunt in Babylone, et alii per varias regiones dispersi vagabantur: insuper, quia Zorobabel non fuit rex, hinc inchoata et imperfecta duntaxat fuit haec Israelis liberatio et congregatio.

Quarto, quocirca cogitur dicere haec plane et plene referenda esse ad Christum. Licet enim al-

Iudat ad Zorobabel et Judeos illius aevi, eosque obiter quasi perstringat, tamen mens et scopus Prophetae ulterius porrigitur, altius assurgit, ac fertur in Christum, per quem haec prophetia perfecte adimpleta est: in Christum enim oracula sua terminare solent Prophetae. Sensus ergo est, q. d. Ne nimis vos deiciam tot minis et cladibus, quas vobis intento, o Israelita, agite, sperate quandoque meliora. Nam Deus post vindictam promittit suam misericordiam, vosque Babylone rednet et congregabit per Zorobabel; ac multo magis vos, puta veros Israelitas non tantum carne, sed et fide ac spiritu, ut ait Apostolus Rom. ix, 8, congregabit per Christum qui, Evangelium praedicans, multos et vobis convertet, ac quasi oves in suam Ecclesiam congregabit; atque in fine mundi totum Israelum, omnesque Judeos magno concursu, strepitu et tumultu convertet: tuncque ex Judeis et gentibus omnibus fiet unum ovile, et unus pastor; puta una Ecclesia sub uno pastore Christo. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Haymo, Hugo, Lyranus, Clarius, Arias, Ribera et alii. Christus enim quasi dux et rex ascendit, ante eos pandens iter, et aperiens portas tum carceris, tum urbis; ex carcere enim nos educit, et inducit in urbem, puta Ecclesiam, per baptismum et gratiam suam; ac ipse Deus in capite omnium praecedens tam Christi, quam agnominis hujus totius fuit choragus et duxor.

Anagogice, Lyranus et veteres Hebraei apud Galatinum, lib. VIII de Arcan. fidei, cap. xxii, haec referunt ad regressum Christi e limbo. Christus enim resurgens secum eduxit animas Patrum, quasi gregem selectum, quae in limbo quasi oves in caula detinebantur. Ipse ergo eis pandit iter, et aperuit januas mortis et inferni, cum eas ad vitam et naturae et gloriae, in terram, et inde in caelum, gradiens ante eos quasi triumphator, tradidit. Idem faciet omnibus electis in die iudicii, cum e valle Josaphat eos quasi antesignanus secum duceat in caelum, quasi in ovile Dei: ubi omnes magis vocibus, instar turbae magne gloriose et canore perstreptentis et tumultuantis, Deum laudabunt in omnes aeternitates, uti docet S. Joannes Apoc. vii, 9. Ita S. Hieronymus, Remigius et Haymo.

PONAM ILLUM QUASI GREGEM IN OVILI. — Hebraice in *בצורת* *batsara*, quae erat metropolis Idumaeae, abudans ovibus: ita Pagninus et Vatablus. Porro *Batsara* hebraice, id est munia, idem est quod grecum *βασις*, et latinum *Valentia*. Significat ergo Romam, inquit Arias, quae primitus latine vocata est *Valentia*, a valore et robore, uti testatur Solinus, *Polyhist.* cap. II, quasi predicat Micheas, Romanam Ecclesiam fore commune ovile ovium Christi, puta fidelium, ac in ea sedem fore summi Pastoris, scilicet Pontificis. Verum Septuaginta, Chaldaeus et noster aliis punctis legunt *בצורת* *batsara*, id est in *tribulatione*, ut vertunt Septuaginta, ut sciant fideles se vocatos esse ad ovile

Christi, quasi ad domum tribulationis et crucis. Melius Chaldaeus et Noster vertunt, in *ovili*: hebraicum enim *בצורת* *batsara* significat septum arcum et angustum, in quo greges ovium densantur et coarctantur. Unde explicans subdit: « Quasi pecus in medio caularum. » Nota, caulas vocat particulares Ecclesias, in quibus a *multitudine*, id est ob nimiam multitudinem et turbam fidelium, ait fore strepitum et tumultum. Hic enim in multitudine ex copia nasci solet.

13. ASCENDET ENIM PANDENS ITER ANTE EOS (quia, ut Vers. 12.

sequitur: « Transibit rex eorum coram eis, » scilicet quasi antesignanus et duxor. Pro *pandens* hebraice est *פורץ* *poritz*, id est *fractor*, ita Pagninus, et *perruptor*, ita Tigurina; qui scilicet portas serasque carceris perumpat, perfringat et aperiat, itaque incarcerationis pandat iter ad egressum, qui suum hunc *portus*, id est primum perforatorem carceris sequentes, pariter eundem) DIVERTENT (hebraice *פוצתו* *poritzu*, id est perumpent et perfringent, itaque) TRANSIBUNT PORTAM (carceris), ET INGREDIENTUR PER EAM, — in Sion; puta in communem fidelium urbem ac libertatem. Unde hebraice est *egredientes per eam*, et ita legitur Biblia Regia Latina; alludit enim ad captivitatem et carcerem Babylonicum, q. d. Zorobabel perfringet carcerem Babylonicum, vosque eum sequentes pariter eundem perumpentis, et ex eo laeti exhibitis in Sion; multo verius antitypus Zorobabel, id est Christus, e captivitate et carcere diaboli, infidelitatis et peccati vos liberans vi meritoque crucis suae, eundem perfringet, vosque per gratiam ejus corroborati et evocati eundem perfringetis, et gratulabundi exhibitis in Sion spiritualem, id est in Ecclesiam, quae est civitas libera, sancta et felix Dei viventis. Verissime autem et plenissime Christus e terra primus ascendit in caelum, indeque mittit Spiritum Sanctum qui fideles suos in caelum vocet, dirigat et deducat: qua vocatione et spe excitati multi ad ipsam converterunt, ut praecessit: hinc consequenter fideles Patriarchae in limbo, quasi in carcere conclusi et detenti, a Christo visitati et evocati, eo praenunte murum et portam limbi et inferorum perumpentes, in Jerusalem, ac deinde in caelum evadent. Denique fideles et sancti omnes in morte et resurrectione Christo duce perumpentes carceris et mortalitatis hujus carcerem, in die iudicii cum Christo et post Christum in caelum ascendent. Ipse enim quasi rex transibit et praebit ante eos, et Dominus Deus erit in capite eorum (1), id est erit omnium

(1) Nos, inquit Rosenmuller, cum Chaldaeo, Jarchio, aliisque veteribus Hebraeis insignem promissionem hinc duobus versibus agnoscimus, quibus Messiae adventus et temporis istius characteres luculenter describuntur. Eadem evidentiae contra morem obtinuerunt, addit Maurer: Loquitur ergo Propheta de certa quadam persona et autonomatico sic dicta, quae mox vocabitur *rex illorum*, ut non sit dubium, vatem de Messia cogitasse, sen divino illo heroe, quae auspice aereum saeculum orbem beatorum sperabant.

primus, dux et princeps, omnesque adjuvabit, roborabit, et elevabit, ut secum ad astra in cœlum empyreum conscendant.

Moraliter, via in cœlum obstruita vi perfringenda.

Moraliter, vox *perets*, id est effractor, significat viam in Ecclesiam et cœlum esse clausam et multis seris et obscaulis obstructam, eaque ascendenti esse perfringenda, juxta illud Christi: « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Math. xi, 12*. Et: « Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem, et filiam adversus matrem suam, » etc. *Math. x, 34*. Et: « Si quis non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus, » *Luce xiv, 26*. Verum Christus primus effractor iter preit, sternit seras, panditque viam, ac suis assclis vires easdem effringendi, pervadendi et evadendi subministrat; ut nemo animo cadere, sed in certam spem libertatis et salutis assurgere debeat, modo Christum sequi velit. Hoc est quod gratulans et exultans canit Habacuc cap. iii, 19: « Deus Dominus fortitudo mea: et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor, in palmis canentem. » Et *Isaias, cap. xlix, 8*: « Dedi te in fodus populi, etc., ut diceris his qui vincti sunt: Exite; et his qui in tenebris: Revelamini. » Et *Psalmus, Psalms, cxv, 16*: « Diripiisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis. »

Volenti ergo e carcere peccati et diaboli, in libertatem filiorum Dei egredi, rumpende sunt seræ carnis et mundi, frangende catenæ et funes malarum passionum et consuetudinum, quibus quasi vinculis peccatores colligantur et constringuntur. Ligabat S. Paulum amor legis patrie et judaismi, sed Christo illucescente, hoc ligamen quasi stramineum rupit et diffavit. Ligabat S. Magdalenam amor mundi, sed ieta amore Christi, illum ut lini stupam discussit. Ligabat S. Augustinum amasia, sed Christo aspirante, quasi telam aranæ hanc catenam dirupit. Audi eum, lib. IX *Confess. cap. i*: « Quam suave, inquit, mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, veratu et summa suavitatis, ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et san-

guini: omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum, et garriebam tibi claritati meæ, et divitiis meis, et saluti meæ Domino Deo meo. »

Qui ergo a malis habitibus, ab amicis, a sociis, a carne ligari te sentis, esto *perets*, esto effractor, difficultates ne metuas; Christus seras perfringet, viam complanabit, iter pandet: perinde ac angelus S. Petro in carcerem ab Herode compacto aperiens portas, et seras dirringens, iter pandit ad exitum, ut Petro nil aliud faciendum fuerit, quam angelum sequi *Actor, xii, 9*; ita et tibi nil aliud faciendum, quam ut Christum invocoes assidue, eumque ducentem animose sequare. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Tibi a Deo dicitur quod *Cyros* dicit, *Isaiæ xlv, 1*: « Subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum veritam, et aperiam coram eo Januas, et porte non claudentur. Ego ante te ibo, et gloriosus terra humiliabo: portas aereas conteram, et vectes ferreas confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum. » Talis *perets*, id est perfractor, fuit S. Paulus, qui ubique obices Evangelii fortiter disiecit, ac gentium omnium antesignanus, eis iter ad Ecclesiam pandit. Unde ipse gloriatur, *II Cor. x, 4*: « Arma, inquit, militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. » Tales *peretsim* fuere omnes apostoli, omnes prisci monachi et anachoretæ, quorum totum studium erat edomare animi passiones, corpusque inedia, frigori, æstui omnique labori et penitentia, assuefacere: unde ascete, id est exercitatores, sunt nuncupati. Tales fuere fundatores Ordinum, S. Antonius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Dominicus Loricatus, et ex nostris S. Ignatius et S. Franciscus Xaverius, qui mira spiritus vi orbem divino igne accenderunt, eoque obstacula omnia straverunt, ut suis assclis ceterisque cunctis iter in cœlum panderent et præirent.

## CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit prophetare contra Israelitas et Judæos, ino a vers. 10, et deinceps duntaxat contra Judam et Jerusalem prophetat. Ait enim, vers. 10: Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Et vers. 12: Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit. Vide dicta initio cap. ii et dicenda vers. 12. Primo ergo taxat optimates, tam laicos, quam ecclesiasticos; puta principes sacerdotum, quod jura pervertant, et plebem opprimant. Deinde, vers. 5, incusat pseudoprophetas, qui adulabatur populo, et vaticinabantur fausta, sed falsa, quæstus causa. Idcirco ego, ait, repletus sum fortitudine spiritus Domini, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum, ac tandem Hierosolymam et templum excidium comminatur (1).*

1. Et dixi: Audite, principes Jacob, et duces domus Israel: Numquid non vestrum est scire judicium, 2. qui odio habetis bonum, et diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum? 3. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriarerunt: et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebele, et quasi carnem in medio ollæ. 4. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos: et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventiōibus suis. 5. Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem: et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. 6. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione, et occumbet sol super Prophetas, et obtenebrabitur super eos dies. 7. Et confundentur qui vident visiones, et confunderunt divini: et operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei. 8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute: ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum. 9. Audite hoc, principes domus Jacob, et iudices domus Israel: quia abominamini judicium, et omnia recta pervertitis. 10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. 11. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et Propheta ejus in pecunia divinabant: et super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. 12. Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.

*Vers. 1.* 1. ADITE, PRINCIPES JACOB, ET DUCES DOMUS ISRAEL, — id est, principes decem, et duces duarum tribuum: per Jacob enim decem, tribus, per Israel Judam et Benjamin significat, uti dixi cap. ii, initio. Septuaginta pro *principes* vertunt, ἀρχαί, quod Vaticana vertunt, *principia*; melius Regia, *principatus*.

NUMQUID NON VESTRUM EST SCIRE JUDICIUM, — « scire » tum speculative, tum potius practice, ut reipsa faciatis judicium, id est id quod justum est, ac lege Dei præscriptum et præceptum, præ-

(1) Hæc est actio tertia contra utrumque regnum, in qua, ut notat Cornelius, vicissim invehitur Propheta contra magistratus, 1-4; contra pseudoprophetas quibus sese opponit, vindicando munus suum propheticum, sibi a Deo cum dotibus collatum, 5-8; denique contra Judæos

sertim circa justitiam, et jura proximis debita, ut v. g. cuique tribuatis quod suum est, pauperes non opprimatis, et eos qui opprimunt castigetis. Ita Theodoretus, Lyranus, Arias et alii.

2. QUI ODIU HABETIS BONUM, ET DILIGITIS MALUM. — Voces *bonum* et *malum*, tam in genere masculino, quam neutro accipi possunt: quia enim hi principes diligebant malitiam, et odiebant bonitatem; hinc consequenter diligebant malos, et odiebant bonos viros et cives. Simile enim amat sibi simile, et odit dissimile. Rursum, universos, quibus exprobat judiciorum perversionem, 9; ædificationem et dilatationem urbis ex rapinis et iniquitate, 10; philargyriam et presumptionem de divino favore, 11; denuntiationem penam Hierosolymam devastatam.

virtus vel vitium non amantur in abstracto, sed in concreto; puta in suo subjecto, scilicet in homine bono vel malo. Vere S. Prosper, *epig.* XXXII:

Impia pars mundi parti est infesta piorum,  
Nec tolerare potest dissimiles animos.  
Ridens nolensque opprobriis presentibus uti, etc.

Hoc est quod vulgo dicitur: «Asinus asino pulcher, et sus sui; graculus assidet graculo, et garulus garulo; cicada cicadæ chara, formica formicæ; fur furem cognoscit, ut lupus lupum.» Ita hodie videmus multos odisse viros religiosos, quia ipsi irreligiosi sunt, et occulte impudica aliaque scelera perpetrant, quæ naturaliter in ipsis generant antipathiam et aversionem a viris castis et sanctis; presertim qui eadem carpunt et insectantur. Hujus rei magnam in multis habeo experientiam.

QUI VIOLENTER TOLLITIS PELLIS EORUM (scilicet Jacob et Israel, quos nominavit vers. 1, id est Samaritarum et Judeorum) DESUPER EIS, ET CARNEM EORUM DESUPER OSSIBUS EORUM? — Est hic metaphora continua, sive allegoria. Reges enim et principes in Scriptura vocantur pastores, sicut Homerus Agamemnona regem Græcorum, passim vocat *τροπαινα λαβω*, id est pastorem populorum: quia quod pastor præstat ovibus, hoc rex præstare debet subditis: scilicet pascere, dirigere, tueri a feris et lupis, ac vivere ex lacte et lana ovium. Nam, ut Tiberius Cæsar, teste Suetonio in ejus Vita, aiebat: «Boni pastoris est pecus tondere, non deglubere,» non carnem et ossa concidere: quia scilicet principes non debent subditos explare, nec eorum bona diripere, aut nimis tributis et oneribus, quasi sanguisugæ exsugere, ut eos ad maciem et pauperlatem redigant. Sic enim non tantum subditis nocent, sed et sibi ipsis. Macies enim ovis est macies pastoris; et paupertas subditis est paupertas principis. Merito ergo idipsum principibus Israel et Juda improprietat hic Micheas. Unde Chaldaeus clare tropum hunc explicans, ita vertit: *Rapientes facultates populi mei, et pecuniam eorum pretiosam auferentes, et reliquias eorum consuantes, et communitates sicut communitur membra intra ollam, et particule carniam intra lebetem.*

Per *pellis* ergo, *carnem* et *ossa* significat substantiam, id est facultates plebis, quas diripiebant, et inter se dividebant optimates, ut eas in pompis, luxu, epulis et conviviis prodige absumerent. Hoc enim significat id quod subdit: «Et conciderunt sicut in lebetem, et quasi carnem in medio ollæ.» Quare minus genium, et magis symbolicum videtur, quod S. Hieronymus, Haymo, Remigius et Hugo per *ollam* et *lebetem* accipiunt Jerusalem, in qua pauperes quasi in olla a potentioribus concidebantur et coquebantur. Olla enim, quod est instrumentum culinae, significat epulas et convivia, quæ in ollis coquuntur et apparantur. Nota catachresis, qua facultates vocat *pellis*,

*carnem* et *ossa*; quia, sicut ex his constat et vivit homo, sic et ex facultatibus suis. Ex his enim victum, id est cibum, et consequenter sanguinem, carnem, pellem et ossa sibi comparat homo. Unde Græcis βίω vocatur tam victus quam vita; quia ex victu vita subsistit. «Pecunia, inquit Ethicus, est hominis anima, sanguis et vita:» qui ergo eam auferit pauperi, vitam auferit. Rursum in pelle, carne et ossibus est climax, sive gradatio: minus enim est hominem excoarare, plus ejus carnem reseccare et comedere, plurimum et maximum eum usque ad ossa vorare; imo exossare, et ossa comminere, ut medullam exsugas. Sensus ergo est, *q. d.* Optimates Israel et Jude bona ejus rapiunt adeo avare et rapaciter, ut non tantum eum excoarare, sed et exarnificare, imo usque ad ossa devorare, quod et exossare videantur. Hoc est quod isdem exprobat Ezechiel cap. XXXII, 2: «Vae pastoribus Israel, etc. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pasebatis.»

Tropologie, hæretici et seductores qui alios pellicunt ad hæresim, Libidinem, furta, homicidia aliaque scelera, eosdem pelle sua excoarant, carne spoliant et exossant. *Pellis* enim est exterior virtus, et decor in compositione vultus, incessus, motuumque et membrorum: breviter, *pellis* est modestia. Item ceremonie externa, quas damnant et extirpant hæretici. *Carnes* sunt virtutes interna, sed teneriores et molliores, ut eleemosyna, temperantia, justitia. *Ossa* sunt virtutes duriores ac fortiores, ut penitentia, mortificatio, contemptus mundi, martyrium. Ita S. Gregorius, in *Psal.* I *Paviment.* explicans vers. 2: «Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea,» id est, inquit, «virtutes anime obscurate sunt, et extenuate virtutes simul conturbate sunt (per peccatum, ad quod illicit tentator et seductor): caritas enim confunditur, humilitas impingitur, fortitudo deicitur, castitas impugatur. Per ossa virtutes accipimus, per quas nimirum animam sustentamus: sicut enim in ossibus est fortitudo corporum, ita in virtutibus robor invenitur animarum.» Qui ergo hæc virtutes proximo eripit, qui v. g. eum ad peccatum immodestie inducit, eum excoarant: qui vero eum ad gulam et avaritiam pertrahit, eum exarnificat: qui denique virum sanctum et religiosum pellicit ad violationem votorum, ad abnegationem suæ professionis, vel etiam fidei, hic eum exossat.

4. Tunc (cum scilicet ullio Dei, quam ego hic eis continue intento, eos invadet) CLAMABUNT AD DOMINUM (sed frustra; nam) NON EXAUDIET EOS, — quia ipsi eum per me hæc præmonentem audire noluerunt.

ET ABSCONDET FACIEM SUAM AB EIS. — «Faciem,» id est favorem, curam, providentiam, opem, presentiam et beneficentiam suam (horum enim symbolum est facies) eis subtrahet. Sicut enim

peccator avertit faciem suam a Deo, illicque inobediens et rebellis tergum obvertit: ita vicissim Deus illi afflicto, et se invocanti, faciem, id est gratiam et auxilium suum, subtrahit, ac dorsum derelictionis, oblivionis et reprobationis ostendit. Quæ ingens est poena, juxta illud *Proverb.* cap. I, 24: «Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis evenerit,» etc.

5. HÆC DIXIT DOMINUS SUPER PROPHETAS (id est de pseudopropheta, vel ad, contra pseudoprophetas) QUI SEDUCUNT POPULUM MEUM, — adulando illi in peccatis, promittendo impunitatem, vaticinando omnia eis fore prospera et felicia.

QUI MORDENT DENTIBUS SUIS (id est, frendent in me aliosque veros Prophetas, qui bellum minantur Israeli, cum illi pacem et prospera eidem promittant. Ita R. David et Lyranus. Aut, ut Albertus et Hugo, qui frendent et minantur tristitia quæque iis qui nulla sibi largiuntur munera: iis vero qui ea largiuntur) PRÆDICANT PACEM, — id est omnia prospera. *Secundo*, Theodoretus, Vatablus et Clarus: «Qui mordent dentibus,» quasi blandientes et adulantes iis qui dant munera; unde iis pacem et prospera prædicant. Sic enim canes, asini et equi eos qui se continuo nutriunt, mordent dentibus, id est mordere se simulant, quasi familiariter adulantes, et petentes ab eis pabulum quod mordeant. *Tertio* et *genuine*, *q. d.* Qui dum «mordent dentibus,» id est, vorant ea quæ sibi a largientibus donata sunt, iis vaticinantur et «prædicant pacem,» omnia scilicet fausta et secunda eis obventura.

EX ADVERSO: SI QUIS NON DEDERIT IN ORE EORUM (quod mordeant et vorant), SANCTIFICANT SUPER EUM FRÆLUM, — id est, edicunt et indicunt illi bellum, tum quia hostes omniaque adversa ipsi comminantur, tanquam impio, qui se pios et sanctos Dei Prophetas neglexerint et spreverint; tum quia suscitant illi lites et bella, dicendo: Iste homo impius est, et hostis Prophetarum ac servorum Dei; avarus est, inhumanus, et dignus qui urbe exuritur, vexetur, spoliatur, etc., uti faciunt mendici celebres et validi, sed impotentes animi et impatientis, de quibus proinde merito dicitur: «Etiam mendicus suo loco potest plurimum.» Ita S. Hieronymus, Remigius, Arias et alii. Unde Chaldaeus vertit: *Qui offert eis convivium carnis, hunc pacem vaticinantur; et qui nihil eis offert, contra hunc exortant, vel instruant bellum.* Sanctificare enim bellum, est sanctum sancti Dei bellum contra impios vel instruere, vel edicere et prædicare per sanctos Prophetas. Vide dicta *Jerem.* cap. VI, 4.

6. PROPTEREA NOX VOBIS PRO VISIONE ERIT, ET TENERE VOBIS PRO DIVINATIONE. — Nota pulchram antithesin poena ad culpam, quæ culpa ex quo opposita congrue illam plecit et punit. Sensus enim est, *q. d.* Vos o pseudoprophete, Israeli

adulantes in peccatis, eique pacem promittentes, vobis visi estis videre diem et lucem, id est veritatem et prosperitatem: at ego dico et assevero visionem vestram esse noctem et caliginem, id est esse errorem et mendacium, ac propterea puniam vos nocte atra et horrenda, id est terribili clade, excidio et captivitate; adeo ut vobis præ angore, pavore et merore, sol in meridie occumbere, et dies obtenebrari videatur: timeque confundemini; quia patebit ex ipso evento oracula vestra fuisse mendacia, et mendaces adulationes: quocirca præ pudore tegatis ora et vultus, quæ hæc oracula falsa ediderunt: «quia non est responsum Dei,» *q. d.* Reipsa apparebit vestras prophetias non fuisse responsa Dei, sed diaboli, aut cerebri vestri vani et mendacis commenta et figmenta. Vix enim partim veritatis, partim lætitiæ et felicitatis; nox partim falsitatis et mendacii, partim eladis et calamitatis est symbolum. Ita S. Cyrillus, Theodoretus, S. Hieronymus, Haymo, Remigius et alii. Vide dicta Amos cap. VIII, 9: «Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.»

7. OPERIENT OMNES VULTUS SUOS. — Hebraeus et Chaldaeus: *Involent labrum suum*, id est labia sua mendacia, quibus falsa oracula prolucunt sunt: nam, ut præcelsi, «confundentur» et erubescunt vehementer, cum deprehensa fuerit eorum fraus et falsitas; ac præ erubescencia im-pudens paulo ante eos et vultum suum manu e pallio oppositis obvelabunt. Ita S. Hieronymus, Clarus, Vatablus, Palacius, Ribera et alii. Arias vertit: *Involent mysticam suam*. Pseudoprophete enim incedebant comptuli, et ad labra mysticæ alebant, quasi sponsi Penelopes; quales etiamnum videre est ministros verbi non Christi, sed Calvin. Septuaginta quoad rem eodem sensu, sed quoad verba contrarie vertunt: *Aperient omnes labra sua contra eos*. Sic enim verbotenus habent: *Esserabuntur eos omnes, quasi hebraum* *מכריף את הגוי* significat et operire et aperire: verba enim hebraea sepe duo contraria significant.

Aliter explicat Delrio, *adagio* 992: «Operient, inquit, vultus suos,» tanquam rei morti additi et damnati; his enim solebat velari facies, ut factum est Aman, *Esther*, cap. VII, 9, et Susanna, *Daniel*, cap. XIII, 32, et *Ezechiel*, cap. XII, 6, et Christo, *Matth.* cap. XXVI, 66 et 67. Hinc illa Romanorum olim infamata vox et sententia: «Caput obnubilo, infelici arbori suspendido.» Hic sensus est eruditus et probabilis, prius tamen uti germanior, ita probabilior est: iteratum enim verbum *confundentur*, indicat hic de pudore potius quam de morte agi.

8. VERUMTAMEN EGO REPLETUS SUM FORTITUDINE SPIRITUS DOMINI, JUDICIO ET VIRTUTE. — Oppositum se pseudopropheta, *q. d.* Illi adulantur vobis, et mollia faustaque vaticinantur: at ego repletus sum spiritu Dei forti, id est duro, minaci et acri; ut scilicet libere, intrepide, acrier et constanter

Rex est pastor populi

Pecunia est hominis anima.

Tropologie, hæretici et seductores qui alios pellicunt ad hæresim, Libidinem, furta, homicidia aliaque scelera, eosdem pelle sua excoarant, carne spoliant et exossant.

Ver. 4.

Dama- nis velati sunt.

Ver. 8.

Tres de-  
tes Pre-  
phetar,  
robur,  
iudicium  
et  
efficacia.

prædicem Dei iudicium et virtutem, sive potentiam, id est justam et potentem ejus ultionem, quam per Assyrios et Chaldaeos in vos, o Israelitæ et Judæi, exercēbit. Nota hic tres dotes vero prophetae, doctores et prædicatori necessarias, totidem vitis pseudoprophetae oppositas. *Prima, est fortitudo*, qua nec blanditiis et numeribus capiatur, nec minis et penis cedat, sed libere et constanter carpat scelera, etiam potentum, esque Dei iram et vindictam intendet. Hæc opponitur pseudoprophetarum partim timiditati, qua placentiam prædicant, timentes divinum et potentum offensam; partim cupiditati, qua ob munera iisdem prospera vaticinantur. *Secunda, est iudicium*, quo tum vera a falsis secernunt, ut non nisi vera et certa prædicent; tum majora peccata a minoribus discernunt, ut illa acris, hæc lenius suggillant; tum prudentem et discrete quoslibet monent et docent pro cuiusque indole, captu et conditione; tum denique quasi a Deo constituti et inspirati iudicium, id est sententiam damnationis et excidii, in impiis pronuntiant. Hæc opponitur pseudoprophetarum mendacis, indiscretioni et adulationi. *Tertia, est virtus*, puta robur animi et efficacia sermonis, cui nullus resistere possit. Hæc opponitur pseudoprophetarum pusillanimitati, et vanæ garrulæque blandiloquentiæ. Verum sciant Prophetae has dotes non esse suas, sed esse spiritus Dei, ab eoque sibi aspirari. Talis fuit spiritus Elias invictus, aseter et igneus, de quo *Eclii*. cap. xviii, 4 et 6: « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Verbo Domini confirmat cælum, et dejecit de cælo ignem ter. Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum. » Talis fuit Isaias, cap. lviii, 4: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. » Talis fuit Jeremias, cap. vi, 11: « Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens, » etc. Et vers. 27: « Probatores dedi te in populo meo robustum, etc. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projectit illos. » Talis S. Joannes Baptista dicens *Matth.* cap. iii, 7: « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? » Talis Paulus, qui disputans de castitate, justitia et iudicio ipsum Feliceo presidem, licet infidelem et impium, perculit et tremefecit, *Acto*. cap. xxiv, 23. Tales Apostoli, qui, recepto Spiritu Sancto, in spiritu vehementi contriverunt naves et reges Tharsis, ut videre est in *Actis Apostolorum*. Tales erunt Elias et Hnoch in fine mundi, certantes contra Antichristum, de quibus dicitur *Apoc.* cap. xi, 3: « Etsi quis voluerit eos nocere, ignis exiit de ore eorum, et devorabit inimicos eorum. »

fers. 10.

10. QUI ÆDIFICATIS SION IN SANGUINIBUS. — Ita et Syrus et Arabicus. Transit Propheta a duodecim tribubus ad solas duas. Verisimile enim est illum ea quæ præcesserunt, sæpius tum decem tribu-

bus, tum duabus concionando enuntiasse; ac tandem cum decem tribus abductæ essent in Assyriam, solis duabus que remanserant eadem inculcasse. Sensus ergo est, q. d. Vos, o Judæi, magnificas domos et palatia in Jerusalem extruxistis, et omni suppellectile pretiosa instruxistis, exurgendo facultates, labores et sanguinem pauperum per iniqua tributa, judicia, usuras, fraudes, oppressiones, etc., juxta illud *Eclii*. cap. xxxiv, 23: « Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. » Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Haymo et alii. Nam sic inique spoliati, non raro fame et miseris, aut merore et indignatione moriuntur. Unde Chaldaeus verit: *Condentes domos suas in Sion cum sanguine effuso*. Tales sunt qui bona hospitalium, orphanorum, viduarum, monachorum, aliaque quibus pupilli, senes, agrosi, pauperes, etc., ali debebant, in suos usus convertunt; qui, ut hic dicitur, non tantum fures sunt, sed et latrones ac homicidæ pauperum. Hoc est quod in Joakim rege Juda redarguit Jeremias cap. xxii, 13: « Væ, ait, qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in iudicio! amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. » Vide ibi dicta.

Nota: Hæc propheta, ut patet *Jerem.* cap. xxxv, 48, edita est a Michæa sub Ezechia rege, qui contra Assyrios munivit muros Jerusalem, ideoque domos muris vicinas, quæ solent esse pauperum, destruxit, ne hostis eas occuparet, et ut ex earum lapidibus et materia muros instauraret. Hoc est enim quod ait Isaias cap. xlii, 10: « Et destruxistis domos ad muniendum murum. » Unde suspicatur Sanchez hic taxari Ezechiam principem, et præfectos publicorum operum, quod domos has pauperum destruxerint, nec eis pretium ex publico arario persolverint. Alias enim, imminente obsidione, domos muris vicinas, quæ urbi periculum creant, demoliri licet.

Moraliter, tyranni ditones, dominia et regna sua ædificant et adangunt per cædes, rapinas et bella injusta. Ita Theophylactus in *Habacuc*, cap. ii, 12. *Rursum*, tales sunt principes, qui fisci reditus per iniqua vectigalia, quasi per rapinas amplificent. Quocirca B. Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 37, hæc Michææ verba recte adaptat et intorquet Eusebio episcopo, qui ecclesiam in Pelusio ex oppressionibus pauperum ædificabat. *Tertio*, tales sunt iudices, qui ex iniquis malebis mania et ædificia palchra construunt, qui corrupti numeribus reos absolvunt, et innocentes condemnant. *Quarto*, qui officia et beneficia in consanguineos indignos, aut in peccatorum communiōne conjunctos, et administratos libidinum et cupiditatum, conferunt. Ita Adrianus VI Pontifex neminem ex cognatis honoribus vel opibus extulit, dicitans a nolle se ædificare Sion in sanguinibus; » quo dicto factoque magnam sibi sanctitatis opi-

nionem conciliavit, præsertim accedente mira animi humilis modestia et continentia. Qua de causa ejus sepulcro Romæ inscriptum legitur: « Adrianus VI hic situs est, qui nihil sibi infelicis in vita, quod quod imperaret, duxit. » Quocirca, inquit Onuphrius, patruelis sui filium, Senæ Etruscæ in gymnasio litteris operam navantem, quod Romam nequaquam vocatus, intermissis studiis repente venerat, confestim merito eqno impositum remisit; animi levitatem identidem objectans, et severe admonens, ut ab se modestie et temperantiæ exemplum opportune sumeret. Alios quoque, nec remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe fortunæ celsioris e Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpavit, donatisque singulis sagis laneis et frugi vitæ, pedibus similiter in patriam redire jussit. Quarum rerum testimonio superiorum Pontificum aliquorum profusam erga propinquos liberalitatem, uti gravem et republicæ perniciosam, detestari erat solitus. Simile quidam fertur etiam de Clemente Pontifice ejus nominis quarto, qui et ipse interpellatus ab amicis, ut consanguineo cuidam suo tria habenti beneficia, plura adhuc tribueret, respondens: Non, inquit, carni et sanguini obtemperabo, sed potius Deo; nec dignus Petri successor est, qui plus cognationis quam Christo tribuit. » Illeusque Onuphrius in *Vita Adriani VI*, *Quinto*, qui, quasi spiritualis lucris gratia, in suspectas domos ingrederentur, aut liberius cum impudicis loquerentur. *Sexto*, qui religionis prætextu parentes extrema laborantes indigentia desererent, quibus usui esse possent: aut filiis suaderent, ut elemosynas quibus egeni parentes juvandi erant, in templa potius materiata, et in sacerdotibus converterent; quos Christus reprehendit *Matth.* cap. xv, 3. Ita Delrio, *adagio* 993.

Vers. 11.

11. PRINCIPES EIUS IN MUNERIBUS (id est pro muneribus, propter munera) JUDICABANT, ET SACERDOTES EIUS IN (id est pro) MERCEDE DOCEBANT, ET PROPHETE EIUS IN (id est pro) PECUNIA DIVINABANT. — Pro in enim hebraice est *beth* pretii, significans pro, propter. Carpit principes quod in iudicio duplicem injustitiam committerent: primo, vendendo sententiam; secundo, pervertendo eam, et sentem absolvendo, insontem damnando propter munera. *Secundo*, carpit doctores leges, quod sacram doctrinam legis divinæ vendunt pecunia, quod est simonia, uti docent theologii, ac nominatim noster Lessius, tract. *De Simonia*, dubit. ii, initio, et dubit. xiii, dicto 3 et 4. *Tertio*, carpit pseudoprophetas, quod oracula venderent auro, quod pariter erat simonia, non in re ipsa (quia hæc oracula non erant sacra, imo nec vera; quia non suggesta a Deo, sed facta ex cerebro), sed in ipsorum opinione, et estimatione vulgi, qui hæc oracula vera et divina esse censebant. Ecce hisce modis ædificabant Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate, uti

præcessit. Hæc enim verba illa priora, quasi thesin per hypothesin et per exempla explicant.

ET SUPER DOMINUM REQUESCEBANT. — Hebraice יִשְׁעוּ יִשְׁעָא, id est Domino innitebantur, sicut ager vel senex innititur et incumbit baculo suo. Ita Chaldaeus, Pagninus et Tigurina, q. d. Ii pseudoprophetae cum sint seductores, et pleni sceleribus, tamen quasi pii et sancti essent, secure quiescent in Dei cura et providentia, dicentes: Jerusalem est urbs sancta, non sumus populus Dei, juxta illud *Jerem.* cap. vii, 4: « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. » Ergo Deus noster nos tuebitur, nec sinet urbem et templum suum everti, ac populum suum tradi hostibus. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Lyranus, Clarius et alii. Ingens hæc est impiorum impudentia et presumptio, quod cum Deum gravissime offendant, sperent tamen, imo non dubitent se ab eo, imminente hoste vel periculo, protectum iri.

12. PROPTER HOC CAUSA VESTRI (quia scilicet vos

ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate, uti dixi vers. 10. Hinc ut in eo puniamini, in quo peccastis, atque ut pena sententiam culpam) SION QUASI AGER ARABILIS, ET JERUSALEM QUASI ACERVUS LAPIDUM ERIT, — q. d. Chaldaei diruent magnificas domos, quas in Jerusalem ex rapinis pauperum ædificastis, ita ut ex iis non supersint nisi rudera et acervi lapidum, atque urbs ipsa desoletur et complanetur, fiatque ager aratro arabilis. Sion proprie significat superiorem urbis partem, in qua erat templum, et arx David: Jerusalem vero erat inferior, et major pars urbis, monti et arci Sion subiecta; sæpe tamen per synecdochen tota urbs vocatur Sion.

ARABILIS, — q. d. Sion a Chaldeis funditus vastabitur, ac disjectis muris et domibus, fiet quasi campus et ager arabilis. Nota: Sicut moris erat apud veteres ut urbem ædificaturi, ejus ambitum circumducto aratro sulcando delinearent et circumscriberent, ibique eam muro et fossa cingerent et communirent; unde locum ex quo terram foderant, fossam vocabant. Hinc Virgilius:

Interea Æneas urbem designat aratro.

Ita vicissim hostes captam a se urbem plane eversum et annihilatam, eversis muris et ædibus aratri urbi inducebant: hoc enim erat ex urbe pagum et agrum efflicere. Hinc Modestinus, in leg. *Si ususfructus*, xxi, ff. *Quibus modis ususfructus amittitur*: « Si, ait, ususfructus civitatis legatur, et aratum in ea ducatur, ut passa est Carthago, civitas esse desinit; ideoque quasi morte desinit habere ususfructum. » Et Horatius, lib. I, *ode* xvi:

Imprimeretque muris  
Hostile aratum exercitus insolens.

Et Virgilius:

Et campos ubi Troja fuit.

Urbis condendæ et illi quondam ritus per aratum.

Urbis  
etymono.

Et Isidorus, lib. LXXV, cap. 1: « Urbis, ait, aratro conditur, aratro veritur. » Hinc urbs dicta est ab urbo, id est ab aratri curvatura, quam urbi circumducebant: unde urvare vel urbare, idem erat quod aratro definire, ait Pomponius iureconsultus. Primitus enim locis editis fossam ducere, et vallo circumdare ad sui tutelam ceperunt, et sic urbes oppidaque inchoarunt. Hinc Varro ait urbem dici, quod aratro sit præfinita; et moenia quasi munia, et murum a munitione; et oppidum, quod muniatur opis causa. Antiqui enim iunctis bobus, tauro et vacca Hetrusco ritu, in condendis urbibus interiore aratro circumagebant sulcum, intra quem urbem edificarent. Hoc faciebant religionis causa die auspicio, ut urbs fossa muroque munita felix esset. Hinc Poeta:

Apia dies legitur qua moenia signet aratro.

ET MONS TEMPLI IN EXCELSA SYLVARUM, — q. d. Mons Sion, in quo edificatum est templum, eo cæterisque ædibus incensis ita desolabitur, ut videatur esse quasi rupes ruderum; sicut in sylvis montium in vertice eminent iuga et rupes, quasi excelsa et culmen sylvæ. Ita S. Hieronymus, Chaldaeus, Remigius et Arias. *Secundo, q. d.* In monte Sion, everso templo, succrescent arbores, ut mons sylvescat, fiatque sylvæ. Ita Theodoretus, Lyranus et Vatablus.

Nota: Hæc Michææ prophetia a senibus Israel citatur Jerem. xxvi, 18, ut ea defendant Jeremiam similia prophetantem, eumque a morte liberent. Ibidem illa dicitur edita sub Ezechia rege, scilicet postquam decem tribus anno sexto ejusdem abductæ sunt in Assyriam. Unde omnia Samaria, utpote jam eversa, solam Jerusalem hic et deinceps usque ad finem prophetiæ compellat et alloquitur Michæas. Porro ibidem fidem senes dicunt hanc Michææ prophetiam non esse adimpletam, eo quod populus ea percussus poenitentiam egerit, atque impetravit a Deo veniam, et sententiæ de excidenda urbe abolitionem. Ita putabant ipsi, sed falso. Nam sententiæ hæc Dei non fuit abolita, sed suspensa duntaxat, et dilata usque ad tempora Jeremiæ, qui rursus eandem revocavit et renovavit cap. xvi, 14, dicens: « Erit universa terra hæc in solitudinem et in stuporem: et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. » Et cap. xvi, 9: « Sicut Silo erit domus hæc, et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator. » Haec factum est anno 11

Seculæ, quo Nabuchodonosor regnum Juda cum urbe et templo evertit. Michæam enim minari ad litteram excidium Chaldaeorum, non Romanorum (uti censuit Eusebius lib. VIII *Demonstr.* cap. viii, motus ea ratione, quod tunc tantum eversa sit Jerusalem, eo quod edificata sit in sanguinibus, uti ait hic Michæas vers. 10, puta in sanguine et nece Christi, sed perperam; nam ob sanguinem Christi non edificata, sed destructa est Jerusalem a Tito), patet tum ex Jeremia locis jam citatis, tum ex eo quod Michææ tempore instabat Judæis clades per Chaldaeos, non per Romanos. Typice tamen et allegorice hæc spectant ad eorum excidium per Titum et Romanos; horum enim prodromi et quasi antitypi fuerunt Chaldaei: Romani enim perferunt id quod inchoarunt Chaldaei, dum plenum et extremum exitum Hierosolymæ et reipublice Judæorum intulerunt.

Tropologie, Jerusalem est anima sancta, et Deo per gratiam dicata et consecrata: hæc evertitur per peccatum mortale, fitque acervus lapidum et ruderum, id est passionum et vitiorum omnium indigesta congeries, quæ antea fuerat constructa ex gemmis, iisque circumdata et quasi coronata, de quibus Apoc. xxi, 9. Gemmæ sunt dotes et virtutes, Sion est mens et ratio (quæ in homine est id quod in urbe est arx, quodque in Jerusalem erat Sion, id est specula) quæ antea providebat et disponebat opera virtutum, jam post peccatum quasi ager aratur a diabolo, ut ferat zizania, vepres, aconita et venena peccatorum et scandalorum; templum est spiritus, qui antea Deo adherens iuges ipsi orationis, meditationis et laudis offerebat hostias, jam post peccatum fit sylvæ densa inutilibus et noxiis arboribus, id est cogitationibus et curis in qua versantur fere, id est demones, qui ibidem bestiales et ferinos suos mores introducunt, imo ex homine bestiam, ex templo idolum, ex angelo demonem efficiunt. Hanc animæ tristem commutationem et cladem totis Threnis describit et plangit Jeremias, ubi inter cætera ait, cap. ii, 5 et 6: « Præcipitavit Israel, præcipitavit omnia moenia ejus: dissipavit munitiones ejus. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, » etc. Et Psalms, *Psalm. lxxviii, 1*: « Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. » Similia habet Isaias cap. 1, 7 et sequent.

Tropologie, urbs eversa est anima peccata.

## CAPUT QUARTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Predixit Michæas cap. præcedenti, vers. ultimo, montem Sion et templum vastandum a Chaldaeis; nunc ut de more tristidus læta subjungat, ut suos consoletur, docet eundem restituendum, imo super omnes montes erigendum per Christum, quia scilicet in Sion Christus inchoavit Ecclesiam suam divinam et cælestem, ad quam velut arcem et speculam excelsam ex toto orbe confluent turmatim omnes gentes, quia de Sion exiit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Porro in Ecclesia non fore bellum, sed summam pacem præannuntiat. Et regnabit, inquit, Dominus in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum: Et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Hinc secundo, vers. 10, consolatur Judæos, qui captivi ituri erant in Babylonem, quod brevi inde sint liberandi a Deo, qui hostes eorum Chaldaeos conteret, et Sioni robur pristinum restituet.*

Michæas  
læta as-  
secta.

Nota: Priorem et majorem hujus capituli partem mutuatus videtur Michæas ex Isaiæ cap. ii, ubi eadem pene ad verbum habentur. Nam Isaias facile quadraginta annis ante Michæam idipsum prædixisse videtur. Id colligimus ex eo quod priora quinque capita Isaias dictasse videtur sub Ozia rege. Nam cap. vi sic incipit: In anno quo mortuus est Ozias. Cum ergo visionem sexti capituli habuerit anno ultimo Ozias, videtur visiones præcedentium capitulum quinque sub prioribus ejusdem regis annis a Deo accepisse; Michæas autem hæc prophetavit sub Ezechia, qui fuit pronepos Ozia, uti dixi cap. præced. vers. ultimo. Nam inter Oziam et Ezechiam intercesserunt Joathan, qui sexdecim annis, et Achaz, qui totidem regnavit. Adde aliquot annos Ozia et Ezechia (Michæas enim post excidium Samariæ, quod anno 6 Ezechia contigit, hæc vaticinatus est), habebis annos 40 et amplius, quibus Isaias hoc suum, cap. ii, oraculum ante hocce Michæas accepit et edidit. Quia ergo hæc expliciti Isaiæ cap. ii, ea hic non repetam, sed breviter caput hoc percurram, Lector consulat ea quæ notavi in Isaiæ (1).

1. Et erit: In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi. 2. Et properabunt gentes multe, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. 3. Et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum: et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gentes adversus gentem gladium: et non discent ultra belligerare. 4. Et sedebit vir subtus vitem suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est. 5. Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra. 6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: et eam, quam ejeceram, colligam, et quam afflixeram: 7. et ponam claudicantem in reliquias: et eam, quæ laboraverat, in gentem robustam: et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum. 8. Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion usque ad te veniet: et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. 9. Nunc quare more rore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? 10. Dole, et satage, filia Sion, quasi parturiens: quia nunc

(1) Hic incipit pars secunda prophetiæ Michææ, sive prophetiæ evangelicæ, exhibens Ecclesiæ christiæ promissionem.

PRIMO, describitur futura hujus Ecclesiæ amplitudo et gloria, primo, ex summa ejus exaltatione et sublimitate, vers. 1; secundo, ex affluxu omnium populorum; 2; tertio, ex adversantium refractione, credentium autem pace et concordia; 8; quarto, ex securitate et libertate profuturi Evangelium, 4, 6; quinto, ex perpetuitate regni

Christi, ejusque intra Hierosolymam constitutione, vers. 7, 8.

SECUNDO, enumerantur adjuncta præcedenti quæ evenient antequam adimpleatur quod vers. 8 prædicitur, scilicet, primo, Judæorum angustia prius et captivitas Babylonica, sed subsequens postmodum liberatio, 9, 10; secundo, hostium adversa primum molitio, sed reddita per vires postmodum clades, 11-13; tertio, obsessa Hierosolymæ ultima et eversa, cap. v, 1.